

II m  
9543



# ORATIVNCVLA

In solennitate funeris

*Quod*

*VIRO Clarissimo & consultissimo Dn. M.  
IOHANNI WOLFIO,  
Cancellario Bibersteinico, parenti carissi-  
mo attestandae pietatis causa ad diem*

*XII Maji fecerunt mesti filii*

*Ante aedes defuncti*

*habita*

*á*

UNIVERSITÄTS-  
HALLE  
(MALE)  
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHEK  
POMICKA

M. CALEBO TRYGOPHORO

Organi logici in Academia Franco-  
furtana professore.



FRANCOFVRTI

Typis Scieurinis.

ANNO dñi 1690.





Non mirum est, Magnifice  
Dn. Prorektor, reverendi, consul-  
tissimi, clarissimi, prudentissimi,  
humanissimiq; viri, juvenes & a-  
dolescentes doctrinae & virtu-  
tum laude florentissimi; non mi-  
rum est, inquam, si verni hujus  
temporis blandimenta suavem a-

liquam jucunditatis commotionem hominibus ex-  
citant: cum horti amoenissima varietate picti, floscu-  
lorum coloribus pulcherrimis oculos; odoribus ju-  
cundissimis nares oblectent; aviculæ usq; & usq; li-  
quidissimos cantus tenui gutture funditantes, inti-  
mos audientium sensus penetrent & permulceant;  
nitor deniq; cœli, frondes arborum, pubes herba-  
rum, animum omnemq; corporis partem delectatio-  
ne tacita & gaudio deliniant. At verò si ad priora se-  
cula animi oculos converterimus; quod nobis jucun-  
dum est, aliis quamplurimis luctuosissimum tempus  
fuisse comperiemus. Nam ut funestam illam cla-  
dem mœsto silentio prætereamus, quæ ante annos  
142. die 29. Maii, imperii Romani vires acerrimè  
conculsit ac fregit, dum pestis Christiani nominis  
Mahometes secundus Constantinopolin Græcorum  
imperatorum sedem, expugnavit & occupavit; Con-  
stantino imperatori vitam, Romanis Graciam eri-  
puit; ut omittamus asperrimum illud bellum, quod  
olim à Philistinis illatum est Iudæis; in quo die 10.  
Maii triginta millia ex Israelitis miserè perierunt. ne  
renovemus aliorum lachrymas, quibus Maii Mensis  
calamitates deplorarunt; unus ille dies, quo è vita  
excessit



excessit vir clarissimus & præstantissimus Dn. M.  
IOHANNES VVOLFIVS, nos monebit  
post hominem lapsum, nullum unquam humano ge-  
neri acerbiozem illuxisse mentem, quàm hunc ipsum  
in quo, vicissitudine anniversaria, magna illa mater-  
tera Terra, quam Ethnici Majam nominabant, fœ-  
tus suos ut multiformes, ita formosissimos producit,  
ac spectatorum oculos animosq; exhilarat.

Decimo enim die Maii, Noha prioris mundi  
filius, posterioris pater, audivit vocem illam divinæ  
clementiæ indicem; ingredi in arcam; Septimo  
autem die post, conspexit iram cœlestem, & supra  
ruinas orbis terrarum navigare cœpit. Quod si spe-  
ctaculum illud tristissimum mentis acie intueamur:  
quis quæso tēperet à lacrymis imo verò quis non to-  
to pectore contremiscat? Ventus vehemens, & hor-  
renda tempestas subito coorta omnia horrendis mo-  
dis concutiebat, urbes obruebat, ædificia prosterne-  
bat: mox ingens nimborum vis furenti ac violento  
impetu in homines irruebat: quorum alios jam exa-  
nimaverat strepitus, fremitus, clamor tonitruum, ali-  
os àëris ardor, & fulminum jactus absumperat. Tum  
verò infantuli ab uberibus matrum fluctibus abre-  
pti in conspectu parentum suffocabantur: inter  
gemitus, ejulatus, vociferationes, uxor maritum,  
maritus uxorem, frater fratrem, amicus amicum fru-  
stra inclamabant: Sepulchrum sibi paratum omnes  
cernebant; enatandi viam nemo. Quorsum autem  
hæc? Vt nimirum in vernate hac gratia κόσμος, qui re-  
spectu prioris mundi verè est ἀκοσμος, ita versemur,  
ne conditionis nostræ oblivionem nobis adferat pul-  
chritudinis hujus contemplatio: sed cogitemus, non



minus in nos viretis & amœnis rosariis telo mortis  
trāsfigi posse, quàm olim in temporis ejusdē delitiis  
primi mundi incolæ aquis perierunt; & nunc in syl-  
vis feræ capiuntur à venatore, in ramis volucres ab  
aucupe. Argumento est vir clarissimus Dn. M.  
**IOHANNES VVOLFIVS**; qui cum superasset  
istos menses, qui defluxibus & mutatione humo-  
rum senibus infestiores sunt, polliceri sibi poterat  
confirmationem virium & vitam vegetam; sed ali-  
ud fuit in decretis cœlestibus; quorum tabulæ, si non  
semper ad voluntatem, sæpius certe ad utilitatem  
nostram figuntur. Quamvis enim istis rebus, quæ  
prosperitatis humanæ aliquid præ se ferunt, medio-  
criter à Deo ille fuerit donatus; non pauca tamen  
sensit, quæ vitam hominibus facere acerbam solent.  
Patriam nactus est Bescovium; parentes ordinis se-  
natorii; quibus ut splendoris aliquid debuit, ita de-  
cus & laudem uberiores acquirere semper studuit;  
memor sententiæ Virgilianæ, qua non cives Roma-  
ni à patria commendantur, sed Roma felix prole vi-  
rûm prædicatur. Neq; enim inutiliter parentes la-  
borem istum consumpserunt, quem in filio ad pie-  
tatem & bonarum artium studia informando posue-  
runt. Nam cùm in hanc lucem editus esset anno  
post Christum natum 1545: in schola, ut vocant, tri-  
viali, usq; ad annum ætatis decimum quartum vi-  
xit; atq; ita ingenii adjutus vigore, primas artes ce-  
lerrimo cursu peragravit; tumq; in hanc Academi-  
am venit, & Magnifico Rectore, magni nominis viro  
Dn. D. Schradero in studiosorum numerum rece-  
ptus est. Studia sua, quorum fundamenta feliciter  
jecerat, hoc in loco per octo annos continuos exco-  
luit:



luit; ad eaq̄ accessionem adjunxit minimè vulgarem.  
Et quoniam externos etiam mores ac studia ad vitam  
rectè agendam aliquid facere putabat; improbens  
eos quorum calceis non nisi pulvis patrius insedit:  
hinc Rostochium abiit, ibiq̄ sesquiannum, non myr-  
tum Veneris, sed Phœbi laurum consecratus est. In-  
de Argentinam profectus est, & ibi biennium cum  
Philosophia dicendi studia conjunxit: ab Argenti-  
nensibus ad VVittebergenses transiit, cum quibus  
postquam unius anni spacio versatus est, in hanc A-  
cademiam rediit; quæ anno 1572, industriæ ac la-  
boris indefatigati præmium, summū in Philosophia  
gradum roganti concessit. Anno sequente in matri-  
monium duxit scœminam lectissimam **BENI-  
GNAM VVIDEMANNIAM**. Dn. Iohannis Pop-  
pii relictam viduam cum qua usq̄ in annum vice-  
simum benignè ac suaviter vixit; nec non benignita-  
tem ac benedictionem divinam numerosam prolem  
conspexit, septem filios, filias duas: de quibus filii  
sex adhuc sunt superstites filia cum unico filio patrē  
in cœlum præcesserūt. Anno 1580. factus est Cancel-  
larius Biberstenicus: eaq̄ provinciã usq̄ ad annum  
93. ita administravit, ut nec ad benè consulendum fa-  
cultas ipsi defuerit, nec ad rectè agendum animus:  
licet fortassis cum Nasone optare potuerit, ut suc-  
cessibus careat, quisquis ab eventu facta proban-  
da putat. Quoniam verò, ut rectè Augustinus dixit,  
prospera hujus mundi asperitatem habent veram:  
Anno 1593. die 28 Junii erepta illi est uxor- dilectis-  
sima, atq̄ in mœrore animi & infirmitate corporis  
afflictum senem deseruit. quam ruinam ut quodam-  
modo reficeret, viduus viduam domus suæ colu-



innam, ætatis ingrauescentis nutriculam esse voluit  
fœminam laudatissimam ELISABETHAM FAL-  
CONIAM, quam Dn. Georgius Harckstro, felicitis  
memoriæ, post se reliquerat. Alterum hoc matrimo-  
nium præscriptos terminos brevi admodum tem-  
pote attigit; siquidem à die nuptiarum in hunc se-  
pulturæ diem, ne anni quidem dimidium effluxit;  
idemq; sterile quidem fuit, quo ad liberos; at fœcun-  
dissimum, quo ad curas & morbos. Cum adversa e-  
nim valetudine & aliis molestiis fatis diu conflixit:  
sed ita conflixit, ut, quemadmodum in fragili vagina,  
ensis ferreus; sic in corpore debili animus infractus  
delituerit. Neq; enim aut impatientia victus succu-  
buit, aut voluntati divino contradixit: sed invaletu-  
dinem admisit comitem, injucundam fortè, at fide-  
lem, quæ crebro compellabat, iter demonstrabat,  
mortalitatem cõmemorabat. Erroribus scilicet variis,  
non vitæ nostræ aliqua pars, sed omne ævum tra-  
ducitur; quandoquidem, ut vir quidem sapiens scri-  
ptum reliquit, infantes] reptamus, pueri ludimus,  
adolescentes insanimus, conflictamur viri, deli-  
ramus senes: itaq; interdum morbi corporis ani-  
mum ab errore avocant: & ruinam crebrò minita-  
tur domus] animæ, ut ex eo sæpius, de migratione  
hospes cogitet. Optimè novit hoc D. Petrus, cuius  
vel sola umbra morbos corporum pellebat, quando  
interrogatus, cur ita filiam febrî affligi pateretur?  
respondit: Sic ei expedit. Idem novit vir præstans-  
tissimus, cui ultimum exequiarum honorem nunc  
persolvimus: cùm in maximis doloribus sublevati-  
onem semper ab uno DEO petierit, quem unum do-  
loris auctorem agnoscebat; qui etiam ultra vires  
affligi



affligi dilectum hunc filium suum noluit, sed die de-  
cimo Maji, post horam i. matutinam, ex moribun-  
do corpore animam immortalem placidè dimisit.  
Non igitur est, quod filii carissimum parentem lu-  
ctu prosequantur nimio; quoniam, ut Pleiades, qui  
paullo ante cum sole occiderunt, nunc cum sole ori-  
untur; sic hoc sidus, quod nunc ipsorum oculis sub-  
tractum est, ut aliqua ex parte terra tegitur, aliquan-  
do fulgore novo illustratum, cum justiciæ sole Chris-  
to Iesu, exorietur. Plura non addo: Sed Magni-  
fico Dn. Prorectori, viris clarissimis, studiosis le-  
ctissimis, pro hoc officio vel potius beneficio, grati-  
as ago & habeo quantas possum maximas, nomine  
tùm filiorum, qui hinc mœstissimo vultu adstant; tùm  
viduæ quæ intra ædes tacito premit altum  
corde dolorem; qui omnes, quod factis,  
præstare nequunt, votis efficient, &  
compensationem ab omnium bo-  
norum datore DEO supplices  
orabunt, et, quod spe-  
rant, exorabunt.  
DIXI.







ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ.

Clarifs. & præstantifs. Viri

DN. M. IOHANNIS VVOLFII

GENEROSORVM BARONVM

à Bieberstein, Forst, & c. quon-  
dam Cancellarii.

**Β**λίδε τοῖς μερόποις θανέειν πεπρωμένον ἐστὶ  
Πᾶσιν, ἀλιτροσύνης τοῖσιν ἰῆσιν ὁδῶν.  
Νῦν μάλα μακροτέροιο βίᾳ ἀντάξιον ἄνδρα  
Ὀυολφον ψυχρῆ γαῖα καλύπτει ἔπι.

Ὅς θέμιδος μισῶν θ' ἑλικωνιαδῶν μέγα κῦδος  
Εὐχωλήτ' ἔσκεν τῆς πρᾶσιδεσιν εἴης.

Τὸν θᾶψ τ' ἀρετῆ κλαίει κατὰ θεινηῶτα,  
Κλαίει καὶ Πάλλας ἐσμῶ ὅμως χαρίτων.


Ὅχθον ἐπι μῦσαι θύρατρεις διὸς ἀγιοχοιο  
Δέυσιν κόλπῳ τῆς σφετέρῃς σμυγερῶς,  
Τῶ δ' Ἰπιβάλλασιν τε ῥοδῶς τερπνῶς μετὰ καλῶν  
Ἀργεννῶν τε κρίνων Ἄουθ' ἐκ πεδίσ.

Χαίρ' αἰδοῖε κόνις, σέοθεν δ' ὑπὸ κέυθεσι γαίης  
Κοιμήσαι μαλακῶς ὀσέα, εὐχομ' ἐγὼ.

Ψυχῆ ἐς ἡλύσιον πεδίονδ' ἱπᾶσα ἀπάντων  
Ἐκτοθεν κακῶν τερπετ' εὐφροσύνη.

Iohannes Voitus.





(X/199 7951)

B. m.

II m  
9543



# ORATIVNCVLA

In solennitate funeris

*Quod*

RO Clarissimo & consultissimo Dn. M.  
HANNI WOLFIO,  
cellario Bibe stemico, parenti carissi  
attestandæ pietatis causa ad diem  
XII Maji fecerunt mæsti filii  
Ante edes defuncti  
habita

BIBLIOTHEK  
ALLE  
MALE

BIBLIO  
POTICKA

á

CALEBO TRYGOPHORO  
Organi logici in Academia Franco-  
furtana professore.



FRANCOFVRTI

Typis Sciurinis.

ANNO dñi 1698

